

it observatus. Non ingratum foret Lectori, si nonnulla ex iis excerpamus, & breviori stylo contrahamus, quæ ad motum, & incredibilem Cometarum à terra distantiam pertinent, quæque iis, quæ postea de illorum natura dicturi sumus non parvam lucem sunt allatura. Tradunt itaque duo Viri illi Clarissimi quod jam innuimus, id à vero non abhorrere, Cometas inter opera ab initio mundi condita, vti & Planetas referri oportere; nec fortè eorum motum minus esse æquabilem, quam Planetarum. Quod comprobant ex collatione huius Cometes cum eo, qui a Tycho Braheo anno 1577. fuit diligenter observatus. Nam hi duo ita inter se conveniunt, ut unus & idem pene videatur; & si utriusque Ephemerides & observationum tabulæ consulantur, vix inter eorum semitas, & motuum velocitatem ullum occurrit discrimen. Sub iisdem stellis ambo visi sunt incedere, iisdem in locis Eclipticam secare, nempe in 21. Sagittarii, & Æquatorem in gradu 300. ab initio Arietis, nunquam Planetæ post exactum sæculum iisdem in locis Zodiacum & Æquatorem tam præcise attingunt.

§. VI. Cum primum hic Cometa visus est Londini & Madriti, die videlicet 20. Decembris, motus diurnus fuit ferme duorum graduum: nondum quippe ad Perigæum suum peruenerat, ubi motus eius est celerrimus. Die 4. Januarii is motus fuit 4. graduum cum semisse. Accelerato eius motu major Cometa, & cauda productior apparuit, quæ die 27. Decembris 48. gradus in cælo occupabat, ad 62 usque gradus excrevit. A die 4. Januarii sensim & motus & moles Cometæ ceperunt decrescere: adeo ut die 18. Martii motus diurnus vix fuerit 20.
mi-